

IV. — Defensor etiam matrimoniorum in unaquaque Dioecesi nominetur ab Episcopo, vel a Vicario Capitulari, ut quando adversus matrimonii alicuius validitatem disceptari contingat, Sacramenti vinculum pro viribus et in Domino defendat.

In Provincia nostra Sacerdos, aut saltem Diaconus esse debet.

V. — Denique Notarius tribunalis nominetur, qui ita processibus intersit, ut sine illius praesentia nihil agatur.

Notarius, qui et Cancellarius esse potest, debet esse saltem in minoribus constitutus.

VI. — Coram Episcopo Vicarius Generalis, Secretarius et Promotor iurent sigillum servare circa negotia illis commendata.

Cancellarius et apparitores idem faciant coram Vicario Generali. Et coram Secretario ceteri inferiores officiales sigillum iurent, ut commissum et promissum servare, circa omnia quae noscant vel audiant de negotiis.

TITULUS V.

DE CONCILIO PROVINCIALI.

Provincialia Concilia sapienter ab Ecclesia Catholica instituta fuere, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ecclesiasticae rei necessitatibus reparandis.

Scopus Conciliorum Provincialium non est omnia quaecumque necessaria aut utilia attingere; sed magis urgentibus providere, errorum germina praefocare, disciplinam ecclesiasticam promovere, et sacramentorum piae legitimaque administrationi invigilare.

Quocirca statuimus:

I. — Iuxta quod a Sacrosanta Tridentina Synodo statutum legimus, Metropolita, vel illo impedito, aut Sede Archiepiscopali vacante, Episcopus antiquior Concilium in Provincia indicere non omittat, et hoc singulis duodeniis ut privilegio Apostolico concessum fuit Episcopis Americae.

II. — Ad Concilium omnes Provinciae Episcopi, et qui de iure vel consuetudine interesse debent, omnino conveniant, iis tantum exceptis, qui legitimo impedimento, ab eiusdem Concilii Patribus cognoscendo et approbando, detineatur; sed in hoc casu procuratores mittere debent, qui votum decisivum aut consultivum erunt lataturi, prout Concilium ipsum de casu ad casum decernat. De cetero quinam praeter Coepiscopos interesse debeant, quando et quomodo decreta promulganda sint, iam a iure statutum est.

III. — Nemini licet suam opinionem celare, nam ad eam detegendam omnes vocati sunt.

IV. — Episcopi et omnes qui iure vel consuetudine Concilio intersunt, omnia et singula quae in oecumenicis Conciliis et praesertim in Vaticana Synodo statuta et definita fuerunt, palam recipiant, veramque obedientiam Romano Pontifici spondeant et profiteantur, ac omnes haereses ab Ecclesia in iisdem Conciliis damnatas publice detestentur et anathematizent.

V. — Testes Synodales in Concilio ab Episcopis constituentur, duo pro unaquaque Dioecesi, qui inter digniores de Clero dignissimi sint, pro sua pietate, prudentia, gravitate et zelo, qui coram Domino munere suo fungantur simpliciter et absque ulla iurisdic-

ctione, sollicite ac circumspecte explorantes an Concilii decreta in posterum religiose serventur ac simul investigantes qua correptione vel reformatione indigeant, eaque ab illis cognita et perspecta, fideliter Concilio subsequenti significant, ut super his provida et opportuna deliberatione provideat.

Si testes alicuius Dioecesis e vivis decesserint, ante novi Concilii celebrationem, Episcopus vel Vicarius Capitularis illico alium Sacerdotem idoneum constituat, ut testes Synodales numquam desint; nemo enim non videt, quantum illorum opera ad rectam confert Dioecesis administrationem.

TITULUS VI.

DE SYNODO DIOECESANA.

Synodus Dioecesana complementum est Concilii Provincialis; est enim coetus cleri, cui Episcopus praesidens cum Sacerdotibus suae Dioecesis, solemniter convocatis, de rebus ecclesiasticis tractat, ut necessitatibus Pastorum et gregis docendo, monendo, vel etiam arguendo provideat. Et cum in illis coetibus res multae elucidentur, abusus facilius tollantur, sacerdotes cum suo Praesule, necnon et ipsi inter se arctiori vinculo uniantur, legesque coram omnibus propositae, examinatae et proclamatae uberius obtineant obsequium; non possumus non agnoscere eius praestantiam et utilitatem. Itaque Patres huius Concilii Antequerensis sequentia decernimus:

I. — In tota nostra Provincia infra annum post recognita a S. C. Concilii huius Concilii Provincialis decreta, a singulis Dioecesana Synodus convocetur et celebretur, in qua, tum huius Concilii Provincialis sta-

tuta publicabuntur, tum examinatores Synodales proponentur, et etiam si opus fuerit, novae Constitutiones uniuscuiusque Dioecesis edentur, quarum vi leges antiquae non tantum communiantur, sed etiam et praecipue novissimis obortis malis novissima remedia praescribantur, et iuxta mentem huius Provincialis Concilii omnia, quae ad ecclesiasticam disciplinam, morum correptionem, et spiritualem animarum profectum sancita fuerunt, ad executionem mandentur.

II. — Tum in convocatione tum in celebratione Synodi praedictae omnia quae sapientissime et luculenter Summus Pontifex Benedictus XIV in opere de *Synodo Dioecesana* docuit, stricte serventur.

III. — Licet a Sacrosancto Tridentino Concilio Synodi Dioecesanae celebratio quotannis praescribatur, attamen serio considerantes quod in hac nostra Provincia, ob exiguum ministrorum numerum, aliasque circumstantias, quae Pastores diu abesse a suis populis minime permittunt, difficultate maxima non caret, tales coetus infra tempus designatum celebrare; et scientes quod Benedictus XIV in suo praelaudato opere scripsit: « Episcopales Synodi, etsi maxime fructuosae, non tamen absolute necessariae dicendae sunt, pro recta Dioecesis administratione, cum alii suppetant modi assequendi eundem finem, ad quem Synodi tendunt (Benedic. XIV *De Syn. Dioec.*, lib. 1, c. 2, n. 5); Metropolitani in sua Archidioecesi, et suffraganei Episcopi in suis Ecclesiis pro temporum et locorum opportunitate, omni diligentia adhibita, Synodos Dioecesanas celebrent.

IV. — Ad celebrationem Synodorum convocentur Canonici, Vicarii foranei, Parochi et alii sacerdotes, qui Episcopi iudicio videantur scientia et experientia praediti.

V. — In qualibet Synodo statuta Dioeceseos legantur, ut ea ab omnibus praesentibus, post convenientem discussionem, augeantur vel minuantur, vel immutentur aut conserventur, prout Praesuli in Domino opportunum videatur.

VI. — Postremo sciant omnes qui Synodo intersunt, se, spreto humano respectu aliove quovis impedimento, plenam libertatem habere suas opiniones detegendi, et prudentibus rationibus fulciendi, praevia humili oratione Deo facta, et attento rerum subiectarum studio, servataque semper debita erga Praelatum et Synodum veneratione.

TITULUS VII.

DE CAPITULIS.

Capitula, seu Collegia canonicalia, pro Ecclesiasticae disciplinae conservatione et augmento, divini cultus splendore ac dignitate instituta, eximium sunt Ecclesiae Metropolitanae et Cathedralium decus atque ornamentum, et honorifico Senatus Ecclesiae nomine ad sacrorum canonum normam a Sacrosancto Concilio Tridentino insigniuntur. Canonici enim esse debent Episcopi consilarii, et praecipue ipsius adiutores in Dioecesis administratione, quando Episcopi, ab illis consilium exquirunt, aut consensu eorum utuntur, prout de iure in aliquibus casibus praescriptum, aut consuetudine observatum invenitur.

Capitulum itaque Episcopis datum est ut adiumentum in difficilioribus rebus, et in aerumnis solatium, et ideo Canonici suo Praesuli coadunari debent velut membra capiti, in omnibus morem illi gerentes non alienos ab ipso se exhibentes, sed quidquid ad hono-

rem spectat Antistitis, ut filii patrem diligentes ac venerantes, ipsi Episcopo prompto animo et obsequio praestare conentur.

Quapropter ut disciplina ecclesiastica iuxta normam Sacrorum Canonum servetur incolumis, Conciliorum Provincialium probatissimorum vestigiis inhaerentes, ea quae sequuntur, praecipienda et monenda censemus.

§ I.

De officiis et muneribus Capitulorum et Canonicorum.

I. — In primis, quae a Sacris Canonibus et Apostolicis decretis, ac praecipue a Trid. Synodo quoad vitam et honestatem clericorum praescripta sunt, et quae a nobis in isto nostro primo Concilio Antequerensi praecipienda erunt, ea omnia singuli Capitularibus Collegiis adscripti, sedula et diligenti observantia praestare tenentur. Cum enim ipsi in Dioecesana Hierarchia, reliquos ordines officiis et honore superent, quia cum Episcopo unum corpus censentur efficere, eos praefulgere etiam oportet ceteris omnibus, tum virtutum omnium, tum prudentiae et scientiae laude atque sacrarum legum custodia. Itaque fidei integritate et vitae innocentia praecellant, ut aliis tam clericis quam laicis semper exemplo sint.

II. — Quoniam vero a Conciliis Provincialibus statui possunt ac debent ea omnia quae sunt necessaria ad rectam disciplinam obtinendam, iubemus ut pro capitularibus conventibus dirigendis, et divinis chori officiis ordinandis, statuta conficiantur, in quibus ad normam iuris determinentur singillatim et exacte omnia, quae ad cuiusque Capituli regimen spectant, si adhuc in quibusdam non fuerint exarata.

Mandamus insuper, ut in ipsis constitutionibus vel earum appendicibus norma quaedam perspicua adiciatur de chori disciplina, et ratione divina persolvendi officia, ex Sacrorum Congregationum decretis et probatis auctoribus desumenda, atque ex laudabili uniuscuiusque ecclesiae consuetudine.

Tam statuta quam norma praedicta examinanda et approbanda erunt a proprio Episcopo. Si vero Capitulum ea conficere neglexerit post sex menses a publicatione huius Concilii, Episcopus eadem conscribere poterit, et observanda a Capitulo tradere.

III. — Verum nihil quidem constitutionum proficiet exaratio, si earum desit notitia et observantia. Quamobrem, ut in hac Provincia divinorum officiorum disciplina semper floreat et augeatur, mandamus, ut statutorum huiusmodi, cum confecta et probata fuerint, si efformentur, aut emendata et approbata, si antiqua extiterint, exemplar quisquis Canonicus, antequam praebendae suae possessionem accipiat, habeat et apud se retineat. Opportunum quoque erit, ut quoties capitulariter congregantur dignitates et canonici, aliqua statutorum pars coram illis perlegatur, quo facilius ea et memoria teneant, et opere religiose perficiant.

IV. — Praecipuum Canonorum munus est in Dei domo divinum officium per psalmodiam et cantica, et Immaculati Agni sacrificium quotidie persolvere. Iam vero ad hanc rem tria potissimum eisdem necessaria sunt, nempe ut residentiae legem servant, ut praesentes choro adstant, ut voce et cantu chorale servitium adimpleant.

V. — Ex Tridentini Concilii decreto novem saltem mensium residentia requiritur (Sess. xxiv, cap. 12 *De Reform.*) nec licet ab Ecclesia propria ultra tres menses

abesse, nec valet quaecumque consuetudo, etiam immemorialis, in contrarium (S. Congr. Conc. in plurib. decr.). Harum trimestrium vacationum beneficio uti poterunt qui in Capitulis Praebenda praediti sunt, sive per dies continuos, sive interpolatos, dummodo uno eodemque tempore ultra tertiam numeri eorum partem non absint, nec tempore Adventus et Quadragesimae, neque in solemnioribus anni festivitatibus. Et semper Episcopum certiolem facere debent de quavis absentia.

Si autem aliquando extra Dioecesim vacationibus perfrui desideraverint, id absque Ordinarii licentia scripto tradita non faciant:

VI. — Residentiae autem lex minime implebitur absque praesentia in choro exhibita, nisi infirmitas aut alia iusta et rationabilis causa aut evidens Ecclesiae utilitas legitime excuset. (S. C. Conc. decr. plur.). Sacrarum ergo Congregationum decreta et resolutiones, quae de hisce causis edita sunt, studiose consulantur et diligenter servantur.

VII. — Nec sufficit corporalis in choro praesentia, nam « Canonici choro quidem interessentes assistentesque, minime vero canentes psallentesque, nullo pacto ex praebendis ac distributionibus facerent fructus suos, atque restitutioni obnoxii essent » (Bened. XIV Const. *Praeclara* n. 8). Qui absque iusta causa, statutis diebus et horis, prout proprium munus expostulat, ad divina officia persolvenda minime accedunt, quocumque sub praetextu, non solum propter negligentiam peccatum incurrunt (Conc. Trid. Sess. vi, cap. 2; et Sess. xxii, cap. 3), sed etiam iuxta absentiae diurnitatem sunt mulctandi, quavis collusionem aut remissione exclusam (Conc. Trid. Sess. xiv, cap. 12 *De reform.*), nam neque Capitulum, neque etiam Episcopi

distributiones iure amissas condonare possunt. (Benedict. XIV Inst. 107 § 42 et seq. — S. C. Conc. 14 Dec. 1624).

VIII. — Omnes qui chori officio adstringuntur, horis statutis in norma, vel ab Episcopo designandis, si assistere vellet, quotidie, mane et vespere ad Cathedralium Ecclesiam conveniant, et ad suum quisque locum accedant, ut adsint iam inde a divini officii principio: maneant in choro usque ad finem totius Missae et Officii, nec iis perdurantibus in sacristiam vel alibi secedant, ne modico quidem tempore, nisi gravi et urgente necessitate, quae proinde raro admodum occurrere solet.

IX. — In divinis officiis persolvendis saepius et diligenter considerent se in conspectu Dei Omnipotentis et inter angelorum et sanctorum choros consistere; ideoque attente, graviter, reverenter ac devote horas canonicas perficiant, in hymnis et canticis Dei nomen, tamquam almae Sionis aemuli et Catholicae Ecclesiae nomine, collaudantes. In canendo et psallendo sint semper concordantes, cum choro psallente psallentes, cum eo canente cantantes. Inter versiculos psalmodiarum, id est, inter unius chori versum, et versum alterius, pausa ponatur, et in medietate uniuscuiusque versiculi, ad asteriscum, distincta fiat intermissio. Singuli, cum opus fuerit, eodem tempore sedeant, assurgant, genuflectant, caput detegant aut cooperiant et inclinent, sacras Rubricas adamussim observantes.

X. — Divinae laudes in choro non cursim et festinanter, non interrupte, sed integre, paulatim, distincte ac reverenter ab omnibus cantentur et persolvantur, quantumvis in templo diu demorentur, et id maxime in solemnioribus diebus, et praesertim in Heb-

domada Maiori. Collocutiones, risus aut alia huiusmodi indecora omnino devitent; litteras, aliave scripta, non legant: nihilque oscitans in corporis habitu aut situ deprehendatur, ut sic animi pietatem praeseferant et adstantibus fidelibus aedificationem et bonum exemplum semper in omnibus praebeant.

XI. — Haec omnia impensius praestanda sunt, dum Missa conventualis canitur, quia divinorum officiorum nobiliorem partem constituit.

XII. — Quotidie Missa Conventualis in Metropolitana Ecclesia et in Cathedralibus huius provinciae iuxta Rubricas celebranda est. Etiam quotidie pro benefactoribus, nisi privilegium Sedis Apostolicae ad aliud in contrarium faciendum adsit, est applicanda (Ben. XIV Encycl. *Cum semper* 19 Aug. 1744. — De Syn. Dioec. lib. XIII, cap. 9, n. 12), etiam si solemniter in pontificalibus celebret Archiepiscopus, aut Episcopus; tunc enim hebdomadarius, vel is, cui inest onus Missae Conventualis, illam celebret lectam ante vel post Missam pontificalem.

XIII. — De praecepto pariter canenda est (nisi adsit privilegium), et post horas canonicas a Rubrica praescripta, secunda, et in casu tertia conventualis Missa in feriis Quadragesimae, Quatuor temporum, Rogationum et Vigiliarum communium, prout in Missali Romano praescriptum est.

XIV. — Fidelissime adimpleantur onera Missarum, Officiorum et anniversariorum in Cathedralibus celebrandorum, vel quia a iure imposita, vel quia ab ipsis Capitulis acceptata, seu statuta fuere. In posterum autem nulla admittantur in perpetuum facienda, nisi de licentia Episcopi. (S. Carol. Borr. Conc. Prov.).

XV. — In primis celebretur quotannis anniversa-

rium solemne pro ultimo defuncto Antistite, prout de iure fieri debet. (Caerem. Episc. lib. II, cap. 36, n. 1). Item iuxta quod in caeremoniali Episcoporum praescriptum legimus, infra octavam commemorationis omnium defunctorum celebretur Missa solemnis pro animabus omnium Episcoporum et ipsius Cathedralis Canonorum defunctorum (Caeremon. Episc. lib. II, cap. 37, num. 1).

XVI. — Celebretur etiam singulis annis Missa solemnis, tam in die anniversaria electionis, quam in illa consecrationis Antistitis pro tempore existentis, servatis rubricis, nisi dies sit iuxta ipsas impedita. (S. R. C. 14 Aug. 1858).

XVII. — Episcopo solemniter celebranti, aut alia pontificalia exercenti, assistant et inserviant Cathedralium Dignitates et Canonici, (Conc. Trid. Sess. xxiv, cap. 12 *De reform.*) idque non tantum in Cathedrali, sed etiam in aliis civitatis ecclesiis (S. C. Conc. apud Bened. XIV Inst. cap. VII, § 6, n. 36), omnia adamusim persolvendo, quae in Caerimoniali Episcoporum hac de re praescribuntur. Immo ipsum ad ecclesiam divinorum officiorum cum cappa accedentem, in aedibus episcopalibus, vel pro loci aut temporis ratione, in porta primaria ecclesiae a Capitulo est excipiendus, modo et forma statutis, et post Missam vel Officium reducendus, iuxta quod in eodem caerimoniali, et in Sacrorum Rituum Congregationis decretis statuitur.

XVIII. — Universi et singuli de Capitulo Praelatum suum uti Patrem revereantur et diligant, eique debitam observantiam et obedientiam impendant. Consensum sive consilium, prout de iure, petenti, fideliter respondeat Capitulum, omni duplicitate animi et omni partium studio exclusis, Dei gloriam, Ecclesiae bonum et animarum salutem tantum respiciens.

XIX. — Ecclesiarum cura, sive Metropolitana sive Cathedralium, quaeque in suo casu, Capitulis commissa est, ideo omnes et singulos, ut Capitulares, ad ipsas adscriptos hortamur, ut peculiarem Ecclesiae suae solertemque diligentiam apponant, eius honorem et decorem libenter promovendo, sed sub inspectione Episcopi, qui vere et proprie tum sponsus, tum caput suae Cathedralis Ecclesiae cognominatur, et est.

XX. — Quanto igitur praestantior est honos et maius officium quibus Antistes afficitur, eo maiora eius munera et iura esse debent. Ideoque Praelatus, etiam repugnante, quod absit, Capitulo, pro bono Ecclesiae suae sponsae, ea omnia, quae ad cultum divinum et ad maiorem ornatum materiale ipsius Cathedralis Ecclesiae et divinorum officiorum splendorem spectant, disponere, ordinare et constituere libere potest. Imo etiam pleno suo iure utitur, quin a quoquam possit impediri, pontificalia in sua Cathedrali exercendo, Ordines celebrando, Episcopum consecrando, et alia huiusmodi sui pastoralis muneris toties quoties ipse velit faciendo.

XXI. — Altaria maxima in Ecclesia Metropolitana et in Cathedralibus magna veneratione, et tamquam privata ad usum proprii Praesulis ac Dignitatum et Canonorum ipsius Ecclesiae, tum in Hispania et alibi, tum in Mexicana regione semper habita sunt. Quapropter in tota nostra Provincia talis specialis distinctio in posterum servetur; sed ita tamen ut in iis possint Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare etiam Praesules alterius Ecclesiae qui in communione cum Apostolica Sede sunt, et etiam dignitates et canonici aliarum Cathedralium Ecclesiarum, qui illuc venientes, voluerint in altari maximo celebrare. Si aliquando qua-

vis de causa, necessarium fuerit ut Missa Conventualis ab alio sacerdote non capitulari canatur, tunc in ipso maiori altari nullo alio portatili anteposito sacrum faciat.

XXII. — Cum Capitula societatis rationem habeant, eorum actio socialiter, seu ut dici solet, capitulariter in comitiis explicatur. Ideoque Canonici congregentur semel aut bis in mense, vel saepius si opus fuerit; non tamen diebus festis quibuscumque, nec feriali quidem tempore divinorum officiorum, nisi ex urgentissima et gravi causa. In his conventibus seu sessionibus, sententiam suam circa negotia quae tractantur aperiant; sed postposito partium studio, fraterno amore omnia pertractent. Maioris momenti negotia, si unico conventu expediri, uti par est, non possint, in aliam sessionem maturiori iudicio decernenda remittantur.

XXIII. — Quamvis de ordinario Praeses Capituli, seu prima in eo Dignitas, sit cui ius Capitulum ad Conventus habendos congregandi competat, attamen Episcopus, suo potiori iure, Capitulum congregare seu convocare poterit, toties quoties in Domino expedire censuerit, ea moniturus quae pro pastoralis officio et bono Ecclesiae dicenda, seu praecipienda iudicaverit. Ius quoque ipsi competit capitularibus conventibus praesidere quoties illis adsit.

XXIV. — Sede Episcopali vacante, sive ob mortem Praesulis, sive ob translationem ad aliam Dioecesim, vel quavis alia de causa, si nemo fuerit cui a Sancta Sede Ecclesiae administratio fuerit demandata, ordinaria Episcopi iurisdictio ad Capitulum transit, a quo tamen transmitti debet absque ulla limitatione ad Vicarium Capitularem intra octo dies, maiori parte absoluta suffragiorum eligendum.

XXV. — Si Capitulum Ecclesiae suffraganae intra octiduum non elegerit Vicarium, ius eum nominandi ad Metropolitanum pertinet; et si, Ecclesia Metropolitana vacante, Capitulum Metropolitanum negligens in eligendo Vicario fuerit, ad Episcopum antiquiorem *ratione consecrationis* huius Provinciae tale ius transit.

XXVI. — Capitulum Ecclesiae vacantis tenetur de morte Antistitis, et postea de electo Vicario, Metropolitanam aut Episcopum antiquiorem, pro casuum diversitate, certiore facere.

XXVII. — Denique, Episcopo vita functo, omnia a Capitulo peragantur, quae de eius exequiis praescripta sunt in Caerimoniali Episcoporum; et pro opportuna novi Episcopi electione impetranda, continuo preces ad Deum offerantur; et illa obtenta, et certa de ipsa habita notitia, publice Deo agantur gratiae in Cathedrali (Caerem. Episc. lib. III, cap. 28).

§ 2.

De capituli formatione et conservatione.

Sicut solius Summi Romani Pontificis est Cathedralis Ecclesias creare, et in eis Capitulum pro singulis erigere, ita etiam ad Episcopos in sua propria ecclesia ius pertinet ea omnia faciendi quae, pro sui Capituli formatione et conservatione de iure facienda sunt; et ideo in id incumbere debet, ut omni cura et studio in decore suae ecclesiae, in divini cultus splendore et magnificentia, ac in bona et accurata disciplina obtinendis suam diligentiam adhibeat. Idcirco, ut rectius et facilius ad executionem mandentur ea quae in Sacris Canonibus de hac re praescripta fuere, sequentes regulas ab Episcopis observandas statuimus.